

De rebus alienari prohibitis transigi non potest, quibundam casibus exceptis. fol. 318. num. 1007. Excipitur 1. Quando ex rationabili causa ad praecedendas lites transigitur auctoritate Principis. n. 1006. Excipitur 2. Quando fit pro re vindicata dubia, ita ut apud eum maneat, quatur vindicatum praetendit. n. 1007. Excipitur 3. Quando est conformis Statuto. fol. 319. n. 1008. Excipitur 4. Si accedat consensus eorum, in quorum favorem res prohibita est alienari. n. 1009.

Non potest transigi circa res in Testamento contentas, antequam constet, quid in Testamento contineatur. fol. 319. n. 1010. Quod si post inspectum Testamentum, & factam transactionem profertur Codicilli, ad hos non extenditur transactio. eod.

Non est necesse, ut Testamentum ipse inspectum, qui circa contenta transigit, sed satis est, quod ab alijs intellexerit. f. eod. num. 1011.

Non valet renuntiatio, qua transigentes renuntiarent juri annullanti transactionem. fol. 319. n. 1012. Imo nec posset juramento firmari. fol. 320. num. 1013.

Postunt Fideicommissarii inter se pacisci de fideicommissio sibi communiter relicto sub eventu dubio, nec Minor laesus restitueretur. fol. 320. num. 1014.

De alimentis in ultima voluntate relictis praeteritis, non item futuris, transigi potest. fol. eodem. n. 1015. ubi, vide declarationem, & extensionem. num. 1016.

De rebus Ecclesiasticis, ut Beneficio, Jure praesentandi, Decimarum &c. non licet transigere. fol. 321. num. 1017.

De Adulterio, quamvis sit crimen publicum & capitale, transigere inter delinquentem & accusatorem non licet, de alijs vero capitalibus & penam sanguinis, seu vitae irrogantibus delictis, transigere & pacisci licet. fol. 321. n. 1018.

De alijs privatis criminibus, si criminaliter intententur, non licet transigere, bene tamen si civiliter. n. 1019.

Transactio cum uno Accusatore facta non impedit, quominus reus ab alijs accusari possit. fol. 322. n. 1021.

Sicut licet de proprio sanguine, ita etiam de alieno transigere. n. 1022.

Non licet tamen transigere de criminibus non inferentibus penam mortis, sed mutilationis, flagellationis &c. fol. eod. n. 1023.

De Suppro transigere non licet, ubi non est crimen capitale. An haecenus dicta hodiernis moribus obtineant, consuetudo consulenda est. n. 1024.

Transactio aequè litibus finem imponit ac sententia transit in rem judicatam. Unde nec praetextu Instrumentorum de novo reperorum rescinditur: bene tamen si ex falsis instrumentis obtenta esset. fol. 322. n. 1025.

Quando Transactio nudo pacto est inita, tunc, Jure Civili inspecto, parit Reo solum exceptionem,

T,

actori autem salva manet actio, si alter non praestet, de quo convenit. fol. 323. n. 1026. Quando actio praetensa sine sublata per Scipulationem Aquilianam & acceptationem, tunc ad implenda pacta datur actori actio ex stipulatu. n. 1027.

Si dolus intercessit, datur actio de dolo, qua transactione rescissa, prior actio revocatur. fol. 323. n. 1028.

Quando Transactio mutuo consensu dissolvitur, prima causa ex integro reassumitur, & pecunia actori data condicitur. fol. eod. n. 1029.

Si unus solus nolit, vel non possit implere quod promissit, tunc alter agere potest, ut vel impleatur promissa, vel quae data sunt reddantur, & res in integrum restituantur. fol. 323. n. 1030.

Si penitens velit postea fervare fidem transactionis, est audiendus, & hoc sensu non licet in transactione penitere, sicut in alijs contractibus innominatis. n. 1031.

Quando res ab uno transigentium data postea evincitur, potest, qui dedit, conveniri ex stipulatu. fol. eod. n. 1032.

Quando Transactio fit circa rem aliquam particularem, non extenditur ad aliud, de quo poterat moveri controversia, etiam si a principio fuerit aliquid aliud petitum ab adversario. fol. 324. n. 1033. Quando fit circa rem particularem quidem, sed sub universalitate actionum, quibus ea res peti posset, censetur actor ab omnibus actionibus recessisse. n. 1034.

Si petitio fuit generalis vel indefinita, & etiam transactio, censetur extensa etiam ad ea, quae tunc absque alterius dolo non occurrerent. fol. 324. n. 1035. Si tamen dolus intervenisset in occultatione aliquorum, ad ea non extenditur efficax transactio, sed laeso competit actio de dolo. n. 1036. ubi vide casum.

Generalis transactio non comprehendit bona per ultimam voluntatem relicta, si ultima voluntas necdum fuit inspecta. fol. eod. n. 1037.

Quando praestitit petitio particularis, deinde secuta est transactio generalis, non hoc ipso transactio extenditur ad non petita, dummodo verba possint ex communi modo loquendi restringi. n. 1038. ubi exemplum.

Transactionis contractus est stricti Juris. fol. 309. Unde qui de injuria transigit, non censetur remississe Jus persequendi damnum injuria datum, quia est diversum utriusque objectum, nec unum est alterius accessorium. n. 1040.

Tomo 6.

Transactio cum laeso in gravioribus delictis, non excusat a pena ordinaria, nisi alia causa concurrat. fol. 325. n. 540.

Transmissio Haereditatis.

Tomo 2.

Haereditas ab extraneo non adita, nec bonorum possessio agnita, regulariter & per se loquendo non transmittitur ad haeredes. fol. 335. nu. 591. Casus excepti

excepti postea referentur. Ratio fundamentalis est haec. Jus adempti haereditatem aliud non est, quam Jus disponendi de haereditate conditionatum, & dependens a voluntate haeredis, qua accipiet oblatam sibi haereditatem: ergo quando conditio non impletur, nec re ipsa, nec juris fictione, Jus expirat. fol. 336. n. 596.

Descendens in potestate patria constitutus, in proximo gradu haeres sive ex testamento sive ab intestato, decedens haereditate necdum adita, transmittit haereditatem ad haeredes quoscunque Jure Suitatis, quia fit ipso Jure statim dominus haereditatis absque additione. fol. 336. n. 597. Idem dicitur de illis emancipatis, qui ex privilegio retinent Jus Suitatis, v. g. filius professus in Religione capaci successione, transmittit haereditatem patris ad Monasterium. n. 598.

Quamdiu filius non declarat, se velle abstinere ab haereditate, tamdiu re ipsa est haeres, nec haereditas dicitur jecens. eod.

Emancipati non privilegiati Jure Suitatis non gaudent regulariter Jure transmissionis, hoc ipso quia non gaudent Jure Suitatis quoad acquisitionem domini sine additione. Neque sunt in hoc puncto aequiparati Suis, sed solum quod possint succedere Jure civili: item quod ipsis debeatur legitima aequalis. Et quod ipsi Jure remedijs eam consequi possint per 30. annos. fol. 337. n. 600.

Immediatus descendens sive Suis sive emancipatus, vel per lineam femininam descendens, nec adita nec repudiata haereditate transmittit eandem Jure sanguinis ad haeredes Suis, non autem extraneos. fol. eod. n. 601. Et hoc non solum verum est, quando desertur successio Jure civili, sed etiam quando opus est Jure praetorio, nempe bonorum possessione. Nam quidquid Lex statuit circa haereditatem, extenditur etiam ad bonorum possessionem delatam Jure praetorio. nu. 602. Haereditas conditionate relicta, conditione non impleta non transmittitur. eod.

Quicumque haeres sciens sibi delatam haereditatem seu ex Testamento seu ab intestato, si intra annum deliberationis decedat, transmittit haereditatem ad quoscunque Haeredes, ita ut residuum tempus ad deliberandum illis cedat. fol. 338. n. 603.

Minor 25. annis, cum ignorantia delatae haereditatis decedens, transmittit probabiliter beneficium restitutionis in integrum ad acquirendum jus deliberandi. eod.

Transmissioni esset locus etiam ad excludendum substitutum, quia Substitutio tunc primum sortitur effectum, quando institutus nec est ipse Haeres, nec alium fecit haeridem, quod tamen fit Jure transmissionis, vi cuius institutus non est penitus exclusus, & ideo provisio substitutionis cedit provisiōi Legis. fol. eod. n. 605. & seq. Unde sequitur, quod Jus transmissionis fit fortius Jure accrescendi: Nam Jus substitutionis est fortius Jure accrescendi, & Jus transmissionis est fortius Jure substitutionis. n. 607.

T.

Infans haereditatem sibi relictam nec tamen aditam, transmittit ad parentes, ex Lege 18. de Jure deliber. fol. 335. n. 608.

Transmissione an excludatur substitutus vulgariter, vide, Substitutio vulgaris.

Transmissio haereditatis delatae Religioso professo in Religione capaci successione, necdum adita, fit in Monasterium, excluso substituto profano. fol. 336. n. 40.

Haeres suus probabiliter transmittit haereditatem ultra Legitimam relictam Jure Suitatis, excluso substituto vulgariter. fol. 335. n. 27.

Transumpta.

Tomo 5.

Transumptum vocatur, quod ab originali describitur, & etiam vocatur Copia, vel Exemplar. Quod si solum unam partem ex Originali referant, vocantur, Memoria. fol. 335. n. 407. & seq.

Scriptura ab eodem Notario, a quo Originale, confecta, & illi simillima, eandem vim habet, quam Originale. fol. eod. nu. 409. Imo sufficit a Notario subseribi. fol. 334. n. 410.

Copia facta a privato, nullam habet fidem contra Adversarium. n. 411. Ne quidem si in archivo reposita esset. eod.

Scriptura facta ab alio Notario quam illo qui fecit Originale, non habet vim Originalis ad probandum ipsum Negotium Gestum & naratum, etiam si de cetero habeat omnes solennitates requisitas ad Instrumentum Authenticum. fol. eod. n. 412.

Exemplum transumptum per personam publicam auctoritate Judicis Ordinarij, vel ad hoc specialiter delegati, plenè probat etiam non producto originali. fol. 335. n. 417.

Judex Ordinarius petentis fieri transumptum, debet insuper citare alteram partem, cujus potest interesse. n. 419.

Si in Originali existet cancellatio suspecta, impedit exemplationem. n. 420.

Transumptum ex commissione Judicis Ordinarij, & extractum ex Protocollo Notarij defuncti, probat etiam non producto Originali. n. 421.

Transumptum asseratum in Arhivo publico ad hoc specialiter erecto, ut in eo non reponatur nisi Scriptura Authentica, addita inscriptione ab Archivario, facit plenam fidem. fol. 336. n. 422.

Si scriptum aliquod est adeo antiquum, ut non cõstet, an sit Originale vel Transumptum, praesumitur esse Originale. Imò si constaret esse Transumptum, privilegio antiquitatis, quo minores probationes sufficiunt, probaret regulariter. n. 423. & seq. ubi vide limitationem.

Trapezita.

Tomo 4.

Idem est quod Nummularius, Mensularius, Argentarius. Differt a Campfore, quod non solum est operam principalem permutationi pecuniarum

um, sed in super exerceat negotiationem, recipiendum custodiam pecuniarum, dando tam proprias quam alienas sub usufructu. f. 125. n. 370.

### Trebellianica.

Tomo 2.

Heres rogatus totam hereditatem restituere, potest Trebellianicam, ad imitationem Falcidia, hoc est, quartam partem hereditatis, retinere. Idem conceditur jure novo heredi ab intestato. f. 246. nu. 351.

In Trebellianicam debet Heres Fiduciarius computare non solum quod sibi Legatum est, sed etiam fructus perceptos eo tempore, quod inter mortem Testatoris & restitutionem fideicommissi intercedit. f. cod. n. 355. Quod tamen solum procedit in Hærede extraneo. f. 260. nu. 402. Non item si filius sit hæres institutus. 403. cuiusque sit facienda restitutio, exceptis fructibus post moram perceptis, qui in Trebell. computantur. n. 404.

Jure communi (non item Bavatico) potest deductio Trebellianica sicut Falcidia à Testatore prohiberi. f. 253. n. 379. Debet tamen prohibitio esse expressa, & facta absque Juris, & proprii patrimonij ignorantia. Unde non sufficit tacita, qualis videri posset inesse his verbis: *Volo restitui totam hereditatem.* f. 255. n. 385.

Neglectus Inventarij non infert privationem Trebellianicæ, sicut Falcidia. cod.

Trebellianica sæpe venit in jure nomine Falcidia. f. 255. n. 380.

Quando prohibetur deductio Trebellianica, non potest hæres cogi adire hereditatem, sed potest repudiare. f. 254. n. 381.

Generali prohibitione alienationis suorum bonorum, non prohibetur sufficienter Trebellianica, bene tamen specialiter. f. 255. n. 286.

Potest detractio Trebellianica prohiberi etiam liberis primi gradus. f. cod. n. 387.

Trebellianica à Fideicommissis pjs Jure Bavatico deducitur, ita ut nec prohiberi possit. f. 257. n. 394. Eodem jure amittitur, si Inventarium confectum non fuerit, nisi liberi primi gradus essent instituti. cod.]

In Trebellianicam imputantur non solum quæ quis Jure hereditario consequitur, sed etiam alio Jure, v. g. Legati, fideicommissi &c. f. 259. n. 400. item quæ conditionis implendæ causâ relinquuntur. n. 401. Excipiuntur tamen probabiliter prælegata. 402.

Si hæres detraxerit Trebellianicam, Fideicommissarius ulterius restituere jussus non potest iterum detraxere. Imò etiam si hæres non detraxerit, non potest fideicommissarius deducere, nisi hæres in illius solius favorem omisit detraxere. fol. 260. nu. 405.

Si plures sint ordine substituti fideicommissarii, præsumitur hæres in favorem ultimi non detraxisse Trebellianicam, & ideo nullus posset detraxere, nisi primus esset persona valde conjuncta,

### T.

alioquin censetur hæres potius voluisse ultimo donare, ut sic plenius fidei & voluntati defuncti satisficeret, qui utique voluit ad ultimum pervenire totum quod ad primum pervenit. fol. 260. n. 406. & seqq.

Trebellianica deducitur ex cumulo omnium bonorum, & non solum ex ea quantitate, quæ deductis legatis superesset, v. g. casu quo quis habens in bonis 400. legasset 300. & juberet restituere 100. reliqua 300. dividerentur in 7. partes, quarum tres legatarij, quatuor fideicommissarii haberet. fol. 261. n. 409.

In tali casu, si legata soluta fuissent ante restitutionem, refundendum esset à legatarijs, quantum necessarium esset, ad complendam quartam, & de hac restitutione faciendâ tenentur cautionem præstare. fol. 262. n. 413.

Si pars hereditatis legata esset, quandoquidem tale legatum habet potius rationem fideicommissi, videtur locus esse potius Trebellianicæ, quam Falcidiæ, quia & onera transunt in legatarium. fol. 263. n. 417. & seqq.

### Triticiaria Actio.

Tomo 3.

Est actio personalis, generalis, competens ad omnia certa. exceptâ pecuniâ. Origo nominis est, quod antiqui nomine Tritici intellexerint patrimonium in rebus quæ non pecuniâ. fol. 190. n. 365. Ideo autem hæc generalis Condictio ultra speciales introducta est, quia sunt aliqui casus, in quibus non datur Condictio specialis. n. 364. ubi vide exempla.

### Turpitudinis dantis vel accipientis.

Tomo 1.

Jus Civile distinguit inter casum quo solius dantis est turpitudinis, & casum quo solius accipientis, & denique quo utriusque est turpitudinis. f. 138. n. 358. & seq. vide etiam *Meritrix* & *Restitutio*. Si turpitudinis est solius dantis, vel utriusque, nulla est dati repetitio, bene tamen per conditionem ob turpem causam, si solius accipientis. ibid.

### Tutela Tutor.

Tomo 1.

Tutela, simpliciter loquendo non est munus publicum, dicitur tamen esse Juris publici, non utilitate quæ intenditur primario, sed auctoritate, quia Magistratus & lex dat Tutores, vel confirmat. fol. 341. n. 211.

Tutela est vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere non potest, Jure Civili data ac permilla. fol. 341. n. 212. ubi per *caput liberum* intelligitur ipse pupillus, prout liber à potestate patriæ. cod. Differt à Curatela, quod principaliter datur ad defensionem personæ, & in defectum ætatis. 217.

Tutela respectu masculinorum datur usque ad 14. annum

### T.

annum completum, respectu femininarum usque ad duodecimum. f. 444. n. 220.

Tutelarum triplex est species. Testamentaria, Legitima, & Dativa. fol. cod. n. 221. quæ deinceps ordine exponuntur.

### Tutela Testamentaria.

Parentes liberis in potestate constitutis, impuberibus, jussu Testamento Tutores constituere possunt. fol. cod. n. 222. Quorum aliqui opus habent confirmatione à Magistratu, aliqui non. fol. 345. num. 224. Qui datur filiis in potestate constitutis, non indiget confirmatione. n. 225. Requiritur tamen 1. Ut detur in Testamento perfecto verbis directis, aut Codicillo Testamento confirmato. 2. Ut ex hujusmodi Testamento adit sit hereditas, quicunque sit hæres, nam & exheredato potest dari. 3. Ut pupillus non sit casurus in alterius potestatem.

Si in Testamento detur Tutor liberis, horum nomine veniunt etiam Nepotes, non item *si filijs*. fol. cod. n. 227.

Potest Tutor dari sub conditione pendente ad tempus, & ex tempore, interim vero per Magistratum providetur. f. cod. n. 228.

Si Minorennis datus est Tutor, expectanda est Majorænnitas, etiam si veniam ætatis imperasset. num. 229.

Mater & Avia Tutorum testamento dari possunt. Jure Bavatico matri duo assistentes adjunguntur, quibus rationes reddat. f. 345. n. 230.

Confirmatio eget Tutor datus pupillo filio emancipato, si tamen à patre datus est, sine inquisitione, sicut etiam, si datus est in Testamento imperfecto: si à matre datus est, eget confirmatione cum inquisitione. f. 346. n. 231.

Tutor filio naturali datus, item ab extraneo, eget confirmatione cum inquisitione. fol. 346. num. 232.

Ut à Matre validè detur, debet filius hæres institui. n. 233.

Extraneus Tutorem tunc dare potest, quando hæres non habet alia bona quam Testatoris. f. cod. num. 234.

### Tutela legitima.

Deficiente testamentario Tutore, vocatur Tutor legitimus à lege. f. 347. n. 235.

Primo loco vocatur mater, si velit, promittens coram Judice, se ad secunda vota non transuram, nisi depositâ prius tutela, & renuntians S. Consulto Vellejano. fol. cod. n. 236.

Secundo loco vocatur Avia. num. 237. & etiam Avus. f. 348. 242. Tertio, exclusis feminis, laterales propinquissimi, eo ordine, quo ab intestato succederent. f. 347. num. 238. In casu quo nimis multi essent, unus vel plures apud Judicem eligendi sunt ut magis idonei, qui tutelam administrarent, periculo tutela omnibus imminente, & substantiâ eorum Minoribus tacite obligatâ. num. 239.

Si semel ad Testamentarium devoluta est tutela usque excluditur, non redit ad legitimum, sed à Magistratu dandus est, idem, si fuerit remotus. Quod si Testamento datus decesserit, ad legitimum tutela redit. Si plures fuerint Testamentarii, in locum decedentis potest dari alius: si nullus superstit, legitimus succedit. f. cod. n. 239.

Si proximi non sunt idonei, vel excludantur, propinquioribus deferatur. f. 347. n. 240. & sic fieri potest, ut hereditas sine tutela, & tutela sine hereditate deferatur. cod.

Extenditur legitima tutela ad omnes gradus, ad quos jus successione. fol. 348. n. 243.

Si impubes habet fratrem minorennem, usque est evasurus majorænnis, priusquam alter pubes fiat, & quidem tempore notabili, à Magistratu interim Tutor dabitur. secus vocatur propinquior. num. 244.

Mater ad secunda vota transiit, mortuo secundo marito habet regressum ad tutelam, si liberis nondum est à Magistratu prospectum. fol. cod. num. 245.

Patronus est legitimus Tutor servi impuberis manumissi. Decedente Patrono ad liberos spectat. num. 246.

### Tutela Dativa.

In defectum legitimi Tutoris, Magistratus assignat idoneum, quem etiam cogere potest, & dicitur Tutor dativus. f. 349. n. 248.

Speciat autem dare ad Magistratum patris pupilli, esto pupillus abgens sit. Item ad Magistratum loci, unde pater originem trahit, aut ubi filius natus est, si pater ibi domicilium habuit, aut ubi major pars facultatum exiit, inter quos est locus præventionis. fol. cod. n. 249.

Matri, si nolit esse Tutrix, incumbit onus petendi Tutorem, (non item Catororem) aliquoquin privatur jure successione, ad idem tenentur propinquiores. fol. cod. n. 250. In defectum aliorum Creditores habent jus petendi Tutorem. fol. 350. num. 251.

Si Bona pupilli ita diffusa, aut aucta essent, ut Tutor datus non sufficeret, datur illi Curator, sicut & in quibusdam alijs casibus. 1. Si Patrimonium sit auctum. 2. In locum excusati, vel suspecti. 3. Si Tutor evasit Debitor aut Creditor pupilli. fol. cod. num. 252.

Tutores non sunt dandi Milites, Creditores, Debitorum. (Matre & Avia exceptis) Prodigii, Religiosi, Clerici, Inimici, Famina alia, Minores, Surdi, Muti qui jam unam tutelam male administrant. f. cod. n. 257.

### Tutorum Satisfactio, & Susceptorum Remotio.

Hodierno Jure in Imperio omnes Tutores Satisfactio tenentur, & rationes reddere, nec possunt adire Tutelam administrationem, nisi interposito Magistrato.

Magistratus decreto. Confiat autem Inventarium coram Notario & Testibus: deinde cautionem præstabit vel sub hypotheca omnium bonorum, vel datis fidejussoribus, addito corporali Juramento, curaturos se, ut persona pupilli in educatione cæterisque rectè prospiciatur, bona fideliter administrantur, rationes singulis annis reddantur: finita tutelâ bona restituantur. Idem Curatores præstabit. f. 351. n. 259.

Hinc convenit Pupillo & Minori multiplex actio. Actio tutelæ, (de qua plura infra) & actio ex stipulatu, rem pupilli salvam fore, & actio hypothecaria ex tacita hypotheca. Contra Fidejussores actio ex stipulatu. Denique Actio subsidiaria contra eos, qui non curarunt satisfari à tutoribus. f. eod. n. 261.

Satisfactio non purgat vitium suspitionis, quin suspectus à tutela removendus sit, nisi esset persona talis, cuius promotio plus incommodate posset pupillo, quam prodesse. f. 352. n. 262.

Suspectus habetur, qui non ex fide tutelam gerit, et si solvendo sit: si ex moribus periculum imminet: si dolose aut negligenter cunctetur. Si mentiar defectum alimemorum: si se subdat: quo casu sit inimicus in bona tutoris. f. eod. n. 263.

Suspectum accusare potest quisvis de populo, exceptis ipsis impuberibus. Puberes possunt Curatores accusare ex consilio consanguineorum. num. 264. Dum accusatio pendet, interdicitur administratio. f. 393. n. 265.

Tutor & Curator præstant culpâ levem: hæredes tamen non tenentur de culpa levi, sed solvant de lata. eod. Excipitur tamen unus casus, quo Tutor de levi culpa non tenetur, nempe si Tutor negligens fuit in rationibus exigendis à Debitoribus pupilli, & illi interim deficiunt esse solvendo, tunc solum de lata culpa tenetur. f. 361. n. 302.

De dolo accusatus & convictus, & à tutela remotus, sit infamis. f. 355. n. 266.

#### Tutelæ excusationes.

Excusatur quis à suscipienda tutelâ, allegando justam causam, liberationis ab onere tutelæ. f. 354. n. 267. Quoad tempus interponenda excusationis consuetudo locorum observanda. Qui plures causas habet, omnibus uti potest. 268.

Causæ autem excusantes enumerantur quindecim. 1. Est numerus propriorum liberorum. Jure Bavarico quinque liberi requiruntur Legitimi & naturales h. e. non adoptivi, superstites nati. Nepotes loco patris mortui pro una persona numerantur. Religionem ingressi non profunt. Vulneratus in acie, & inde mortuus, non minus quam si in acie occubisset, prodest. f. 354. n. 270. 2. Causa est administratio rerum fiscalium, excusans à tutela suscipienda, non à suscepta. n. 271. 3. Est absentia Reipublicæ causa. 272. 4. Magistratus seu potestatis excusans à suscipienda. f. 355. n. 274. 5. Lis cum pupillo. 275. 6. Trium tutelarum vel Curatularum onus. 276. 7. Paupertas Tutoris aut Curatoris. eod. 8. Morbus, de quo Judex arbitra-

bitur. 277. 9. Litterarum ignorantia. 278. 10. Inimicitia. f. 356. n. 279. 11. Qui passus est Statu controversiam à patre pupilli. eod. 12. Aetas 70. annorum. 279. 13. Grammatici, Rhetores, Medici. Non item Juriste. 281. 14. Disparitas status. 282. Qui tutelam gessit, excusatur ab ejus curatela. 283.

Recusans tutelam non potest consequi Legatum. f. 356. n. 284.

#### Tutorum Auctoritas & Administratio.

Pupillus sine Tutoris auctoritate potest conditionem suam meliorem facere, & sibi stipulando, non deteriorem. potest ergo alium sibi obligare, quin illi obligetur. f. 357. n. 288.

Sine Tutoris auctoritate non potest pupillus hæreditatem adire, nec hæreditatem ex fideicommissio suscipere, nec bonorum possessionem petere. f. eod. n. 288. nisi Prætoris auctoritas suppleat defectum tutoris. f. 358. n. 289.

Tutor in ipso negotio debet præfens auctor fieri: post tempus, aut per nuntium non potest. f. eod. n. 290. imò probabiliter sufficit, si adiu statim superveniens in continentem suam auctoritatem interponat. 291.

Quando inter ipsum Tutorem & Pupillum negotium geritur, aliquis Curator ad actum constituendus est. f. eod. n. 293. nisi in tali actu tutor potius gereret negotium pupilli, quam cum pupillo. v. g. si pater pupilli fuisset Debitor tutoris, possit Tutor sibi solvere ex bonis pupilli hæresis. Unde, quoties Tutor duplicem personam gerit, Tutoris & Creditoris, non præstat pupillo auctoritatem, sed administrat bona illius, & agit pupilli nomine. n. 294.

Tutor & Curator factio Inventario, & præstito juramento, (de quo supra) & factâ promissione de defendendo pupillo, immiscebit se administrationi, ad quam primò spectat, ut pupillus secundum suam conditionem instruat, ex fructibus alatur, res pupilli conserventur, exigatur debita &c. alienanda alienentur, & quæcumque mobilia Judicis decreto. Idem de Curatoribus dicendum. f. 359. n. 295.

Ubi educandus sit pupillus, locorum Statuta aut consuetudo attendenda, quæ plerumque est, ut committatur educatio Matri, imò etiam Vitrico. h. 296.

Causæ Legitimæ alienandi Bona immobilia, sunt: æs alienum aliter non expungibile: alimentorum necessitas: liberatio ex periculo: dotatio fororis pauperis, ex eodem patre nata; Alimentatio uterina pauperis: Denique si testator alienari iusserit, quo casu nec Judicis decreto opus est. f. 359. n. 297.

Enam post adeptam pubertatem Tutor negotijs pupillaribus assistere jubetur, donec Rationibus redditus in Curatorem administrationem omnem transferat, si quidem Curator dandus sit, qui invito non datur de Jure communi. fol. 360. n. 298. In Ger-

In Germania consuetudo est, ut Tutor maneat Curator usque ad annum Majoritatis. Jure Bavarico cogitur ad Curatela, nisi excusetur. fol. 361. n. 299.

#### Tutelæ actio.

Pupillo convenit Actio directâ, quæ est personalis, bonæ fidei adversus tutorem, ut administrationis suæ rationem reddat, & quidquid ex bonis retinet, restituat. fol. 361. n. 302.

Si ex pecunia pupilli tutor prædium sibi comparavit, erit in arbitrio pupilli, vel prædium sibi vindicare, vel pretium repetere unâ cum usuris. fol. eod. n. 303.

Si plures fuerint Tutores, & inter illos divisâ administratio à Jure vel testatore, non potest quis in solidum conveniri, sed pro rata parte suæ administrationis: si verò ipsorum conventionione divisâ est, potest quis in solidum conveniri. fol. eod. n. 304. Si non est divisâ administratio, datur minori electio contra quem agat, cedendo illi actiones contra contutores. Si unus solus tutelam gessit, is primò conveniendus, eo deficiente cæteri. 305. Jure Bavarico, si unus Tutorum negligentiam alterius non correxerit, non gaudet beneficio excussionis alterius. Si plures fuerint quam duo, valet, quod à majore parte gestum est, si duo unus sine altero nihil agit. eod.

Datur etiam Minori Actio de Rationibus tutelæ distrahendis, id est, de controversiâ illarum rerum quæ per tutorem subtrahantur à rationibus redditus: datur in duplum rei ablatae, cui simplicium inest, cumularique potest cum actione facti: sed actio tutelæ quoad hæc speciem cessat. fol. 362. n. 306. Est perpetua, sed contra hæredes non datur, nisi lite contestatâ. eod.

Actio Tutelæ semel finitæ, si species aliqua omissa fuit, adhuc locum habet ad eam speciem reperendam. fol. eod. n. 308.

Actione ex stipulatu, non solum Tutores, sed etiam Fidejussores ex tempore moræ à tutore facta in Restituendo de fructibus & usuris conveniri possunt. fol. 363. n. 312. De actione subsidiaria dictum est supra. n. 261.

Tutori adversus pupillum datur actio Tutelæ contraria, quæ petit, ut sumptus in rem ejus factos, & quidquid ratione administrationis sibi abest, recuperet. quæ actio datur etiam hæredi, item illi qui pro tutore negotia gessit. Jure Bavarico tenentur pupilli pro quantitate patrimonij & laborum, Tutori, finita tutelâ, honorarium dare, alioquin per Magistratum decernendum. fol. 363. n. 313.

#### V.

##### Vagabundus.

Quorum locorum legibus teneatur, vide, Lex. Tomo 6.

Vagabundus delinquens, ubicunque deprehendi-

Christ. Ham. Repert.

ditur, à Jure illius loci judicari potest. f. 14. n. 61. Si tamen à Jure loci ubi deliquit peteretur, illi mittendus esset. n. 62.

#### Vellejanum Senatûsconsultum.

Tom. 3.

Jure Codicis, si mulier pro alio fidejubeat, non confecto publicè Instrumento à tribus testibus signato, fidejussio adeo nullius est valoris, ut nec civilis nec naturalis obligatio nascatur: & ideo tunc mulier non habet opus auxilio Senatûsconsulti Vell. Observatis verò dictis Solennitatibus datur quidè Creditori actio, mulier verò se defendere potest opponendo exceptionem ex dicto Senatûsconsulto, & ab obligatione liberari. fol. 111. num. 116.

Hujus Beneficij concedendi duplex causa refertur in Jure. 1. Quod fidejuberè decessit potius viros: Altera, quod mulierum imprudentia & levitati consulatur. f. 112. n. 117.

Fidejussio pro marito facta, quantumvis solemnizata, non tenet, nisi manifestè probetur, pecunias creditas in propriam mulieris utilitatem expensas esse. In Germania receptum est, ut uxores Mercatorum quasi sociæ pro maritis teneantur. Jure Bavarico uxor pro marito fidejubens non aliter obligatur, quam si ab ea, absente marito, certiorata renuntiatione Auth. adfectæ. eod. ubi vidè discrimen inter Nobiles & Cives.

Juvarur hoc Beneficio mulier, etiam si non se personaliter obliget, sed det pignora. f. 112. n. 118. Gaudet eodem, quando maritus ex ejus consensu oppignorat bona uxoris. eod. Item si consentiat ut res sibi oppignorate alteri obligentur. fol. eod. num. 119. Item quando alterius obligationem animo novandi, alterumque penitus liberandi, in se transferre vult. eod. Item quando statim ab initio alterius obligationem, quæ gravaretur, vellet in se recipere. f. 113. num. 120.

Quando mulier fidejubendo vellet alium callidè decipere, non juvarur hoc beneficio: juvarur tamen, si colludendo cum creditore non decipendi animo, sed in fraudem legis callidè fidejuberet. fol. eod. n. 121.

Non juvarur hoc beneficio, si pro alio solveret seclusâ omni obligatione, vel si remitteret jus pignoris in favorem Tertij, quia hæc non esset fidejussio, cum nullam obligationem pro alio subiret. f. 114. n. 122.

Item, non juvarur, si emens hæreditatem obligaret se Creditoribus hæreditarijs, vel si pro suo fidejussore fidejuberet. fol. eod. n. 123.

Neque juvarur mulier promittens alteri, quod ipsum velit indemnem servare adversus alium, qui eum convenire possit; hoc enim non est subite obligationem pro alio, nec interveniunt tres personæ, ut ad fidejussorem requiritur. f. 115. n. 124.

H h

Si